

De fide catholica carmina mirifica ,
 Libros libris cumulans.
 Mahometi cæcitas, perdens gentes perditas,
 Illius miracula
 Nequiens refellere, mœsta fuit cedere
 Viro sine macula.
 Ut sincere credidit, sincere sic edidit
 Formam penitentiæ.
 In discendis perspicax, in exemplis efficax
 Doctor multitudinis.
 Quis ad plenum promere posset, vel præscribere
 De gestorum titulis?
 Lingua non sufficeret, dextera deficeret
 In scribendis singulis.
 Exoremus igitur hunc, de cujus creditur
 Sanctitate firmiter,
 Hostis ab insidiis ut nos et a vitiiis
 Defendat perenniter.
 O depressor criminum, tua nobis Dominum
 Prece reconcilies ;
 In spe nos confoveas, noxia submoveas ,
 Sordes cunctas expies.

A Quem tecum excolimus, fratris tui poscimus
 Leandri suffragia ;
 Preces nostras audiat, audiens suscipiat
 Æterna memoria.
 Doctoris Fulgentii, horum fratrum socii ,
 Recordari volumus ;
 Quem per vitæ meritum salutis sollicitum
 Esse nostræ quæsumus.
 Virginem egregiam Florentinam sociam
 Cum fratribus petimus ,
 Ut adiutrix veniat, et offensas leniat,
 In quas nos cecidimus ,
 Et leniri Dominus velit nihilominus.
 Amen clerus concinat.
 Interventu virginis labe mundet criminis .
 Quos peccatum inquinat.
 Pro nobis tam celebris virgo pulsis tenebris
 Vitiolorum advocet ;
 Ut qui regit omnia miranda potentia ,
 Nos in cælis collocet.
 Amen.

B

ANNO DOMINI DCLXXVIII.

S. LEODEGARIUS

AUGUSTODUNENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN S. LEODEGARIUM.

[Ex Gallia Christiana, tom. IV.]

Sancti Leodegarii seu Leutgarii Vitam litteris consignarunt tres antiqui auctores. Primus est anonymus Augustodunensis, episcopo coætaneus, qui libellum suum impolite quidem, sed graviter scriptum, Hermenariorum Aduensi episcopo nuncupavit. Secundus est Ursinus, qui paulo post, hortatu Audulfii sancti Maxentii abbatis, aliam de sancto præsule lucubrationem exaravit, et Ansoaldo Pictavorum antistiti inscripsit. Tertius, monachus natione Alamannus, opus suum dicavit abbati Murbacensis in Alsatia monasterii. Denique Audulfus San-Maxentianus abbas de miraculis in ejus translatione patris libellum edidit. Ex his porro, sed præcipue e duobus primis, qui fidem omnem merentur, quæ deinceps exscribemus mutuati sumus.

Leodegarius nobilissimo inter Francos genere ortus est. Patris ejus nomen litteris non fuit consignatum; matrem habuit Sigradam, quæ post mariti funus in puellari sanctæ Mariæ apud Suessionas cœnobio monacha facta tam sanctissime vixit, ut in veteri illius parthenonis Calendario, quod nunc in Longi-Pontis asceterio visitur, quodque a quingentis annis scriptum est, illius mentio fiat Nonis Augusti cum officio duodecim lectionum, et XVI Kal. Aprilis legatur: *Sigradæ commemoratio*. Hæc porro sororem habuit Berswindam Athici, Leutharii ducis Alamannorum filii uxorem, ut Mabillonio visum est.

Primis ætatis initiis, a parentibus in regis Clotarii palatium adductus est, ac paulo post, cum decem annorum esset, ut vult Cointius, ab eodem rege Didoni Pictavorum præsuli avunculo suo litterarum studiis imbuendus traditur. Ejus cura tantos in studiis ac pietate progressus fecit, ut humaniorum litterarum callentissimus, divinarum Scripturarum sacræque theologiæ peritissimus, canonum ecclesiasticorum ac juris civilis scientia celeberrimus, virtutum denique omnium ac castimonie in primis decore

B ornatissimus evaserit. Hinc ab avunculo « infra viginti annos ad officium electus diaconatus et consecratus. Deinde non multo elapso tempore archidiaconus effectus, omnibus diocesis ecclesiis præfectus est. » Hic exurgit difficultas, an viginti anni infra quos Leodegarius ad diaconatum evectus est, ad ejus ætatem, an ad mansionem quam apud Didonem episcopum egit, referri debeant. Ad ætatem refert Mabillon, cum ait: « Intra vicesimum ætatis annum, » etc.; ad mansionem vero Cointius, et quidem maxima cum probabilitate, tum quia canonibus velatum erat ante viginti quinque annos diaconum ordinari, quos transgressum fuisse Didonem difficile est sibi persuadere; tum quia multiplices tunc eruditione cæteris antecellebat Leodegarius cum diaconus consecratus est, uti Vitæ scriptores testantur; tot enim scientiarum capax non videtur ætas vicenaria minor; tum denique quia eodem sensu cum Mabillonio Fortunati verba de sancto Germano Parisiensi episcopo, his omnino similia, a doctis intelliguntur. Quamquam his omnibus respondere non est arduum, nec sua caret similitudine sententia contraria. Ut ut est, in archidiaconi munere tanta fortitudinis et sapientiæ præbuit argumenta, ut antecessores suos, quotquot existerant, longe superaret, mæstos lætitia afficeret, criminibus obnoxios ad disciplinæ studium revocaret, omnes in officio contineret. Post ea « cum Pater monasterii in sancti Maxentii honorem conditi obisset, » jussu avunculi « illud regendum suscepit, quod sex fere annis gubernavit, et magnis opibus ditavit, » teste Ursino. Unde infert Mabillonius habitum mutasse et monastica vota fecisse; siquidem prohibuerat Gregorius Magnus, et jam ante ipsum vetitum erat ne clericis monasteriis præponerentur. Ejus sapientiæ ac virtutum fama commoti rex Clotarius et ejus uxor Bathildis a Didone postularunt « ut ei faceret copiam cum ipsis in palatio manendi,

qui statim jussa complens, magnis rebus instructum et sapientiæ floribus redimitum misit : » perhonorifice exceptus, « intra paucos dies » virtute et integritate morum, verborum comitate, maxime in agendo urbanitate et sapientia id consecutus est, ut rex et regina plerique pontifices ac magnates, eum præcipue charum et summo in pretio haberent, consensuque omnium, maxime Francorum, episcopatu dignus existimaretur. Unde Augustodunensis Ecclesiæ tunc temporis a biennio fere vacantis et afflictæ episcopus creatus est anno 659, ut ex Ursino palam est : « Quo munere, inquit, decem annis strenue functus cum esset, Clotarius rex, qui eum promoverat, excessit e vivis. » Obiit enim Clotarius cum annum in regno decimum quartum ageret, anno 669.

Ecclesia Eduensis factionibus dilacerata, tumulibus oppressa, bonis spoliata, novum sub ejus regimine splendorem accepit. Sic enim habet anonymus : « In adventu ejus territi sunt omnes Ecclesiæ vel urbis adversarii, necnon et hi qui inter se odiis et homicidiis incessanter certabant, ut memoriam transacti scandali nollent audire, quia quos prædicatio ad concordiam non adduxerat, justitia et terror cogebat. Quantum in alimoniam pauperum ejus exereverit præcipua cura et in sacrorum decorem, testantur opera vel matricula quæ ab eodem instituta residet ad ecclesiæ Januam, vel specierum pulchritudo, quæ aureo fulgore rutilant in ecclesiæ minisario, vel baptisterii ornamenta miris operibus fabricata, ... ecclesiæ pavimenta, vel laquearia, et atrii constructio nova, murorum restauratio, domorum reparatio, etc. » Anno 661 concilium habuit Augustoduni, in quo conditi sunt multi canones ad sancendam sanciendamque monasticam Benedictinæ regulæ disciplinam. Anno decimo Clotarii regis, Christi 666, vi Kalendas Julii, Drausius Suevionum episcopus beate Mariæ parthenoni, qui ea in urbe ab Ebroino constructus fuerat, privilegium concessit ; quod in illius monasterii historia edidit noster domnus Michael Germain (*Pag. 421*). Illi porro, præter comprovinciales, subscripserunt Genesis Lugdunensis..... Leutgarius Augustodunensis..... Desideratus Cabilonensis, Leudeboldus, etc., episcopi.

Dum sic in pace Augustoduni degeret sanctus pontifex, dum omnia ei pro voluntate succederent, quidam invidia ducti constantiamque ejus pertinescentes, Ebroinum Clotarii majorem domus adeunt, eumque apud ipsum traducunt quasi dum omnes ei dicto obediunt, ille solus ejus jussa contemnat. Excanduit ille ac in furem actus est, cum animadvertit sanctum antistitem a se in verbo superari non posse, nec adulationis sibi, omnium more, impendere obsequium, imo contra ruinas suas semper intrepidum permansisse ; verba sunt anonymi. Sed tunc nihil potuit tyrannus, idque unum præstitit, edictum scilicet dedit, « ne quis de Burgundiæ partibus præsumeret adire palatium, nisi qui ejus accepisset mandatum. » Inanis sane tunc temporis vindicta ; mortuo quippe improbe Clotario an. 669, imperio ac libertate cæcidit. Cum epim Theodoricum loco demortui fratris regem imponere constituisset, ut ipse, sicut ante Clotarii, sic adolescentis regnum procuraret, aliter visum est Austrasis et Burgundionibus, qui Childericum, quem sapienter regere fama ferebat, ex Austria evocarunt, auctore ac incentore in primis Leodegario ; advolat ille, ac rex salutatur ab omnibus. Ebroinus, ab omnibus desertus, confugit in ecclesiam ; mortemque, deprecante Leodegario, tandem evadit, et in monasterium Luxoviense relegatur. Leodegarius e contra summos honores consequitur, in palatio retinetur, regi est a consiliis, tantumque potest apud illum, ut major domus habeatur. Sic enim loquitur Ursinus : « Leodegarius rex omni domui suæ præfecit, et in omnibus majorem domus esse voluit. Is vero, ea accepta potestate, quidquid adversus priscorum regum et magnorum procerum leges comperit inepte introductum..... ad pristinum

reduxit statum. Usque adeo vero totum Francorum regnum restituit, ut omnes se gratularentur regem habere Childericum, ac rectorem palatii Leodegarium. » Nec ideo tamen existimandum reipsa majorem palatii fuisse sanctum episcopum, tum quia ea dignitas, utpote laica, pontifici minime convenit ; tum quia de ea auctor anonymus Ursino præferendus omnino silet, imo notat Wilfoaldum totius monarchiæ majorem domus fuisse. Apud Ursinum ergo, majorem domus seu palatii rectorem minus proprie dictum interpretor eum, cujus consiliis rex quam plurimum deferre consueverat, et a quo totus pendere videbatur. Quamquam dici forte posset initio Leodegarium majoris palatii dignitatem sibi commissam brevissimo tempore tenuisse, et optimatum, ac in primis Wilfoaldi sollicitationibus ab eo statim ablata, et in Wilfoaldum translata fuisse. Sic enim secum invicem conciliari possent duo Vitæ Leodegarii auctores et plana forent omnia. Anno 672 regium diploma pro Dervensi monasterio, favenibus Leodegario, Nivardo et Atelano episcopis, Bercharius obtinuit datum iv Nonas Julii, Compendio palatio, anno in Childerici regis. Subscribitur post regem jam nominati præsules, deinde Wilfoaldus major domus, etc. Sed et ipse Bercharius instrumentum edidit quo monasterio cujus nomen est Puteolus dat omnia bona sua, tam hæreditaria quam acquisita. Actum Rhemis civitate, in Kalendas Septembris, præsentate domno et glorioso Childerico rege, anno quarto regni ejus. Subscribitur post Nivardum, Atelanus Laudunensis, Leodegarius, etc.

Quam lubrica est fortuna ! quam incertum aulae pelagus ! Vix « annis tribus » Childerici gratiani et amicitiam servavit Leodegarius. Offensæ ac odii causæ, invidia, calumniæ, monita justa quidem sed molesta. Multa sapienter initio egerat princeps, sed impellente ætate, malesanis quorundam aulicorum consiliis plus æquo deferens, multa perperam agere cœpit ; quæ cum ægre ferret antistes, eum sæpe de violatis patriis legibus, et de incestis cum filia avunculi suis nuptiis arguit, Dei vindictam minitans nisi prave gesta corrigeret. Hinc aversum a se septiens filius animum, relicta aula, ad Ecclesiam suam recessit. Paulo post, imminente Paschali festivitate, Childericum, qui tunc non longe ab Augustoduno versabatur, rogavit ut in urbem suam resurrectionis Christi mysteria celebraturus accederet ; adfuit, sed inde præsulis exitium. Eodem venerat Hector Massiliæ patricius, ut causam suam adversus Præjectum, prædia nonnulla ab ipso repetentem, tutaretur. Hectori favebat Leodegarius, eumque apud se hospitio receperat : atque hinc aulicorum calumniæ. Regi suadent ambos ideo convenisse ut scelestam in regem et regnum consilia molirentur ; quibus quasi in rabiem efferatus, ea dixit, egit et minitatus est, quibus actum de se, nisi discederet, persuasum est Leodegario. Aufugit, sed fugientem assequuntur missi milites, et comprehensum significant, ac statim jussu regis in Luxoviense cœnobium perpetuo multandum exsilio abducunt. Ebroinum ibi reperit, amice salutatur, se in eum aliquid peccasse fatetur, rogaturque ut, data invicem veniâ mutua, de inter scse concordia juvantur.

Interempto paulo post Childerico, simul Luxovio egrediuntur, et Augustodunum versus tendunt : In itinere Ebroinus in Leodegarium, cui dextram porrexerat, manus injecisset, nisi Genesis Lugdunensis antistes prohibuisset. Leodegarius summa cum letitia et cum aliqua triumphi specie a suis exceptus est. Postridie ambo urbe pariter egrediuntur, ut ad Theodoricum una pergant ; at Ebroinus in medio itinere a Leodegario comitatu recedit et ad sua properat. Acceptus regi Leodegarius, eidem auctor fuit ut I.udesium, Erchinoaldi quondam majoris domus sub Clodoveo filium, palatii præfectum institueret. Inde reversus diæcesim suam pacifice rexit. Ebroinus Theodorico negotium facessere cupiens, pseudo-

regem Clodovum objicit, quem Clotarîi filium esse asserēbat, interfectoque Leodesio, cogit exercitum, et perdidit Leodegarii consilium cepit, ut pōte quem suæ tyrannidis adversarium esse non dubitabat. Waymeri Campaniæ dūcis, Desiderati cognōmento Didonis Cabitonensis, et Bobonis Valentiaë episcoporum, virorum perditorum, opera utitur. Hi, acceptis ab eo copiis, Augustodunum advolant. Publicam suorum desolationem miseratus sanctus pontifex, quidquid habebat, lanceas argenteas et omnem suppellectilem, monasteriis utriusque sexus, tam in civitate quam in pago Æduensi, et egenis distribuit, ac tandem sponte se dedit inimicis, a quibus ad Waymerum adductus, crudeliter, ut jusserat Ebroinus, luminibus orbatur; quod dum fieret, pius ac animo invictus antistes, nec se vinciri passus est, nec modo non gemuit, sed etiam Dei laudes psalmisque cecinit. Sic mutilatum Waymerus in domum suam adducit, adeoque sacris ejus colloquiis emollitus est, ut argentum ecclesiae, quod paulo ante pro Æduensium redemptione acceperat, lubens restituerit. Exinde sanctus antistes in quoddam cœnobium perducitur, ubi fere biennio latuit, eximiaque patientiæ et humilitatis exempla præbuit.

Summa rerum apud Theodoricum potius Ebroinus, jubet Leodegarium cum Gairino fratre coram regi sisti anno 676; ibique multis contumellis et opprobriis a tyranno uterque afficitur, quibus his uterque verbis respondet: « Nos quidem digne hæc patimur, quia peccavimus Domino; tu vero, miser Ebroine, qui tantam injuriam irrogas Francorum genti, in te ipsum potius ulcisceris dum illis vitam auferre cupis. Multos quidem decepisti et paterno solo exulare compulisti; at tu ipse magis exuleris, quando quidem temporalem et æternam gloriam cito perdes: dam enim totius Franciæ homines excellere cupis, tuam, qua indignus præditus es, gloriam amittis. » Ad hæc verba in furorem actus Ebroinus, alterum ab altero separari et Gairinum statim occidi jubet; Leodegarium vero, ut lento supplicio in desperationem impelleret, conscissis pedibus, abscissa lingua, mutilatis labiis, Waningo acerba custodia sertandum tradit. Sed quid contra Deum potest sæva malitia? Leodegarius, stupendo protigio, cinguis distincte loquitur, curatis pro virili a Winoberto et Ermenario vulneribus, labia et lingua recrescunt. Unde continuo Waningus cum martyre mitius agit, eumque in monasterium Fiscanum, quod ipse condiderat, perducit, et ibi custodiri quidem, sed humanius tractari jubet. Ibi « per biennium fere commoratus, magnum doctrinæ suæ semen ostendit in populo, quoquoque inter virginum ibi Deo militantium accedebat catervam, tanta, ut fertur, eloquentia, ut mirarentur quicumque audientes quanta Dei operabatur clementia. Denique ibidem quotidianum immolare studuit sacrificium. » Jam antea consolatoriam ad matrem in parthenone Suessionensi monacham effectam scripserat epistolam, primis Ecclesiæ sæculis, martyre et apostolo dignam.

Tandem anno 678 martyrium consummavit sanctus antistes. Rex et Ebroinus eum in palatium, ubi tunc magnatum et episcoporum conventus agebatur, sisti jubent, et ne insons puniri videretur, Theodorico suadet Ebroinus eum Childerici necis conscium esse; instant ut hanc ipse culpam agnoscat, sed se tanti facinoris expertem constanter asseverat: nihilominus in synodo tanquam reus in ordinem reducitur, ejus sacerdotali tunica a capite conscissa, dehinc Chrodoberto traditur in vastæ silvæ loco occidendus, jussum ut mortui corpus in puteum projiciatur osque putei sedulo obturetur, ne quis mortuo honos deferatur. Ille viri sanctitate commotus provinciam ægre suscipit, sed Ebroini tyrannidem pertimescens, qua-

tuor ministris ab Ebroino submissis eam exsequendam permittit, lugentē ipsius uxore quod tam atrox facinus viro suo mandatum fuisset. Hanc vero consolatur Leodegarius, promittitque necem suam nequam ei in maledictionem, sed potius in benedictionem convertendam, modo ipsa corpus suum sepulturae tradi curaret. Tum in designatam silvam a prædictis satellitibus abducitur, ex quibus tres ad ejus pedes provoluti veniam et indulgentiam petunt. Is vero omnibus qui se divexarant bene precatus, gratis Deo actis quod ad ultimum hunc diem pervenisset, implorata Christi misericordia, cervicem obtulit, quam quartus ex ministris præcidit; sicque martyrium consummavit vi Nonas Octobris (a) an. 678. Silva in qua vitam finivit sita est in pago Atrebatensi, et etiam nunc sancti Leodegarii nomine insignitur. Corpus ejus, jubente Chrodoberti uxore, Sarcinium a suis clam deportatur, et in villæ oratorio sepelitur. Ibi fere triennio jacuit sanctus martyr, totque miraculis inclauit, ut quantumvis ea Ebroinus occulari ac silentio premi curaret, per universas Gallias disseminata fuerint, et interempto Ebroino in aulam Theodorici perlata, « qui, inquit anonymus, cum admiratione credidit factum, et cepit venerari martyrem quem per accusationem tyranni crederat prius fuisse culpabilem. » Hinc de sacri ejus corporis translatione cogitatum, sed de loco in quem inferretur non mediocris orta contentio, Ansoaldo Pictav., Hermenarîo Augustodunensi, Vindiciano Atrebatensi episcopis, tantum thesaurum suæ ecclesiæ vindicantibus. Indictis jejuniis et precibus, tres schedulæ super palam altaris positæ, et post missarum solemniam a ministro Ansoaldi scheda producit, sicque beati martyris corpus ei hac sorte adjudicatur, et ad Maxentianum cœnobium in Pictav. diocesi situm transferitur, tot miraculis in itinere editis, ut quisquis, quavis infirmitate detentus, ferretur aut panium quo tegebatur manu tangere potuit, illico sanitatem recuperavit. In nonnullis Martyrologiis hujus translationis solemnitas xvii Kal. Aprilis annotatur, teste Godofrido Hetschenlo in diatriba de tribus Dagobertis. Normannis per Pictavensē solum grassantibus, sacras ejus exuvias primum in Armoricam, deinde ad Arvernens, postea Antissiodorum delulerunt monachi; tandem ædificato in ejus honorem monasterio Ebrolio in Arvernis, ibidem majorem earum et Guarini fratris partem deliquerunt, « præter manus et caput, » quæ Bernardus Guido Lutensis episcopus apud monasterium Malmacum coli asseverat. Nihilominus tamen ejus caput in suo cœnobio asservari contendunt monachi Murbacenses, Gemeticenses et Pratelenses. Brachium quoque alterum Fiscannenses, alterum Basolenses, ac unum ex effossis oculis, miratas quoque corporis partes Maxentiani se habere gloriantur.

Ejus testamentum retulit Perardus, in quo sic loquitur sanctus martyr: « Hæredem statuo ecclesiam beati Nazarii, titulum mei præsulatus, de rebus meis, hoc est de Marinaco villa super Stantiam fluvium, quam mihi regina Valdechildis de proprio suo in proprium meum delegavit . . . de Tilinaco villa, quam de jure materno ab avis et proavis mihi competit: nec non de Olega et de Canavis villa, quam de Bodione et Sigrada Deo devota acquisivi, etc. » Non me latet in editis vitiosos esse characteres chronologicos, sed ipsam testamenti substantiam genuinum esse contendo, tum quia Jonas episcopus illud aperte indicat in litteris pro canonicis Æduensibus, quibus prædium eæ conditione legat ut non solum pro principibus, ut « sanctus instituit Leodegarius, » sed pro rectoribus totius Ecclesiæ et universo grege Dei misericordiam implorent; tum, secundo, quia Joannes VIII papa in diplomate asserit villam Tilinacum

(a) Annus ex anonymo et ex Ursino colligitur. Uterque enim Ebroinum obtruncatum fuisse asserit transacto a passione sancti Leodegarii spatio trium pene

annorum. Ebroinus porro extinctus est anno regni Theodorici nono ex Siegberto, Christi 681; ergo sanctus martyr capite truncatus est anno 678.

proprietas jure ad sanctum Leodegarium perti-
nuisse, et sancto Nazario ab eodem fuisse collatam.

Nicolaus Imblot Augustodunensis Ecclesiæ præ-
fectus, in indice quem Demochari suppeditavit, sancti
Leodegarii successores sic recenset: Projectus seu
Præjectus, Herminarius, Aubertus. Eosdem et eodem
ordiq̃ enumerant Chenutius et Robertus. Severtius
ordinem immutat; Herminarium Præjecto seu Pro-
jecto præponit, huic vero Aubertum subrogat. Hic
postremus est Ansebertus, de quo alibi. Ad Præ-
jectum vero quod spectat, ex ejus Vita constat eum
Arvernensem, non Augustodunensem præulem et
vixisse et mortuum fuisse; inde porro error videtur
exortus quod in vigilia Paschæ sanctus ille episcopus

missarum solemnia celebravit in sancti Symphoriani
æde, rege proceribusque assistentibus; ac ipso sa-
cratissimo die, Leodegario ac Hectore fuga dilapsis,
rogantibus episcopis, qui tunc Ædæ erant plurimi, re-
liquum peregit officium. Aliquid vero similis divis-
sent si Bobonem in Leodegarii locum intrusum fuisse
asseruissent; de eo enim sic anonymus, num. 10 :
(Waimerus et Dido cuidam Boboni, qui nuper cum
anathemate fuerat de episcopatu Valentiniæ urbis di-
jectus, Augustodunum assignaverunt in dominium,
imo potius devastandum. Cives vero oppressi rece-
perunt adversarium qui jam pastorem amiserant
suum.)

SANCTI LEODEGARIÏ VITA

AUCTORE URSINO ABBATE EJUS ÆQUALI.

[Ex Mabill., Acta SS. ordinis S. Benedicti.]

PROLOGUS AUCTORIS

AD ANSOALDUM EPISCOPUM.

Domino meo sanctoque pontifici Ansoaldo præsuli
Pictaviensi Ursinus peccator.

Jussioni obtemperans vestræ parui, beatissime
papa, insistente maxima ex parte Audulfo Patre mo-
nasterii B. Maxentii, ut de vita vel passione B. Leo-
degarii pauca de multis ejusdem bonis scribendo
narrarem. Quod opus tuis imperiis obsequendo edi-
cere cupiebam, sed simplicitas cordis mei et iners
facundia non valet explicare tanti viri laudes virtu-
tum. Cujus patientia modernis temporibus quanta
sustinuit retrorsus, quæ nemo novit nisi ille solus
cui protulit intrinsecus. Qui occultis latibulis priva-
tus oculorum acie, quid et quantum egisset boni quis
enarrare possit, ubi nec assistebat minister qui hoc
cernere valeret, ut quod oculis non videbat narrare
quivisset? Nam finis operis ostendit extrinsecus
quanta intus latendo fuisset operatus. Tamen in quo
agnita ejus mihi vita fuit et multorum relatione
comperi, quanquam rustico sermone, vobis impe-
rantibus, edicere non distuli. Si quid quibusdam
longius verbis propagare studui, ad disserendam
veritatis lineam hunc tramitem posui: sin vero de
ejus virtutibus aliquid prætermisi, nec studiose
gessi, quin vero ignorantia intermittendo præterii.
Hoc etenim sciendum puto, quia quamvis quisquis
alti sermonis eloquentia ejusdem viri Dei acta disse-
rere cupiat, apertius et absque fallacibus verbis fari
non valeat. Et forsitan valueram et ego annuente
Deo clausis ac ab aliquibus incognitis verbis nar-
rare: ideo autem nolui, ut quique rustici et illitterati
hæc audierint intelligant, et devoti appetant ejus

* Hic Codex Carnotensis inserit nonnulla in hunc
modum: « Inerat autem ei in parva adhuc ætate
maturum jam studium, adhærere scilicet dictis ma-
jorum: et si quid dignum potuisset auditu percipere,
non segniter oblivioni tradebat, sed tenaci potius
memoriæ commendabat. Hauriebatque jam tunc siti-

B imitari exempla cujus intellexerint audiendo mira-
cula.

INCIPIT PASSIO EJUSDEM.

CAP. I. *Leodegarius tum in palatio, tum in avunculi
domo informatur.* — Igitur beatus Leodegarius ex
progenie celsa Francorum ac nobilissima exortus,
a primævæ ætatis infantia a parentibus in palatio
Lothario Francorum regi traditus, ab eodem vero
rege non post multum temporis Didoni [Al., Dudoni]
præsuli Pictavensis urbis, avunculo scilicet suo, ad
imbuendum litterarum studii datus est. Quem idem
præsul cuidam Dei sacerdoti, viro eruditissimo, ad
erudiendum tradidit; quem per annos plurimos
magnis curis edocuit, edoctumque pontifici reddidit,
receptumque secum in suis cubiculis [Al., cum suis
cubiculariis] sub custodia disciplinæ retinuit, ut
quemadmodum idem pontifex se castum corpore
custodierat [Carnot. cod. add. et mente], eumdem
quoque similem sibi effici voluit dicens ei, monendo
summa frequentia, ut se virginem conservaret [Al.,
consecraret], et vas electionis in Ecclesia Dei di-
gnum fieret, quoniam optabat [Al., oportebat] eum
hujus civitatis post se esse episcopum *.

CAP. II. *Diaconus, post archidiaconus efficitur.* —
Sed cum ad hoc opus eum cerneret perspicuum, et
cum fere viginti esset annorum, ad officium diaco-
natus electus est, atque ab ipso pontifice conse-
cratus. Deinde non post multum temporis archidia-
conus effectus, cura sub pontifice omnibus ecclesiis
ipsius diœcesis est prælatus. Erat enim multum fa-
cundiæ honestissimæ deditus, statura procerus, inter
plerosque pulcherrimus, aspectu decorus, eloquio
suavis, ingenio acutissimus, prudentia providus,

bundo doctrinæ fluente pectore, quæ post congruenti
in tempore mellito gutture aliis erudiendo ructaret. Quæ
totidem verbis de Gregorio Magno a Paulo Dia-
cono scribuntur: ex quo aliisque locis patet Codicem
Carnotensem interpolatum esse.